



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano  
accommodata**

**Hermann Werner <Paderborn, Bischof>**

**Paderbornæ, 1753**

De tempore & loco Baptismi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36023**

## De tempore &amp; loco Baptismi.

**Q**Uamvis Baptismus quovis tempore, etiam interdicti & cessationis à divinis, præsertim si urgeat necessitas, conferri possit; tamen duo potissimum ex antiquissimo Ecclesiæ ritu sunt sacri Dies, in quibus solemni Cæremonia hoc Sacramentum administrari maximè convenit: nempe Sabbatum Sanctum Pascha, & Sabbatum Pentecostes, quibus diebus baptismalis Fontis aqua ritè consecratur quem ritum, quantum commodè fieri potest, in adultis baptizandis, nisi vita periculum immineat, retineri decet, aut certè non omnino prætermitti, præcipue in Metropolitanis aut Cathedralibus Ecclesiis.

Ac licet, urgente necessitate, ubiq; baptizari nihil impedit, tamen proprius Baptismi administrandi locus est Ecclesia, in qua sit Fons baptismalis.

Itaque, necessitate exceptâ, in privatis locis nemo baptizari debet; nisi fortè sint Regum, aut magnorum Principum Filii, id ipsis ita depositibus; dummodo id fiat in eorum capellis seu oratoriis, & in Aqua baptismali de more benedicta.

Baptisterium sit decenti loco & forma, materiaq; solidâ, & quæ aquam bene contineat, decenter ornatum, & cancellis circumleptum, serâ & clavâ munitum, atq; ita obseratum, ut pulvis vel alia fôrdes intro non penetrant in eoque, ubi commodè fieri poterit, depingatur Imago S. Joannis Christum baptizantis.

## De Sacris Oleis &amp; aliis requilitis.

**S**ACRUM CHRISMA & SANCTUM OLEUM, quod & catechumenorum dicitur, quorum usus est in Baptismo, eodem anno sint ab Episcopo benedicta feria quinta in Cœna Domini. Curabit Parochus ut ea suo tempore quamprimum habeat, & tunc vetera in Ecclesia comburat.

Veteribus oleis nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur; ac si deficere videantur, & Chrisma aut Oleum benedictum haberi non possint, aliud Oleum de Olivis, non benedictum adjiciatur, sed in minori quantitate.

Chrisma & Oleum Sacrum sint in suis vasculis argenteis aut stannis bene obturatis; quæ vascula sint inter se distincta, & propriam unumquodq; inscriptionem habeat, maiusculis literis, ne error committatur.

Ad usum vero quotidianum minoribus ex argento vel stanno uti poterit, quæ tamen etiam sint literis bene distincta, ne erretur; & in ea ex majoribus vasculis Chrismatis & Olei, quod sufficiat, infundatur, atq; ut effusionis periculum caveatur, commodum erit gossypium imponere, in quod, cum Sacerdos vult inungere, pollex immittatur.

Hæc vascula in loco proprio honesto ac mundo, distincto à Tabernaculo sub clave & tuta custodia decenter aſſerventur, ne ab alio nisi à Sacerdote temerè tangantur, aut eis Sa- crilegè quisquam abuti possit.

Patrochus, quo ad fieri potest, curet ne hæc Olea per Laicos deferantur: Caveat item ne de iis quidquam ulli anquam tribuat, cuiusvis rei prætextu.

Sal quod in Os baptizandi immittendum est, sit benedictum sua peculiari benedictione, quæ infra. Neq; utatur sale exorcizato ad aquam benedictam. Sit bene conformatum, attritum, siccum, mundum. Nemini reddatur, sed ad Baptizandos seruetur, vel in Sacratum aut Baptisterium fundatur.

Cum igitur Sacramentum hoc administrandum est, in promptu esse debent 1. Vascula Sacri Olei Chrismatis & Catechumenorum. 2. Vasculum cum sale benedicendo, vel benedicto. 3. Vas pro manuum lotione post Baptismum. 4. Alba vestis in modum pallioli, vel linteolum candidum capitî infantis imponendum. 5. Aliquæ guttulæ Vini Ori infantis imponendæ. 6. Ceteus ardens.

Omnibus igitur opportunè præparatis Sacerdos ad tanti Sacramenti administrationem lotis manibus, superpelliceo & Stola indutus accedat Clericum pariter superpelliceo induitum, si potest secum adhibeat, qui ministreret.

Ita paratus accedat ad limen Ecclesiæ, ubi expectant, qui infantem detulerunt:

Si non constet, interroget, an sit suæ Parochiæ, masculus an fœmina, an sit domi baptizatus, à quo, quam ritè, qui sint compatres qui infantem teneant, pro eoq; respondeant,